

P S A L M . LXXXIV.

erum, non quo modo nascitur fruges ex terra arata, & sata opera hominū, sed quo modo nascitur flores in campis sylvestribus sine cultura humana ex pluuiā de cœlo, & radiis solis in eā cadentibus. Etenim, inquit, Dominus dabit benignitatē, id est, emittet de cœlo Spiritum sanctum suum, qui Virginem obumbrabit, & sic terra nostra neq; arata, neq; sata, sed omnino Virgo intacta dabit fructum suum. Vnde in Cantico canticorum ipse dicit, Ego flos campi, & lily conuallium.

XIV. Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos.

Concludit Propheta demonstrans, Christum omnino iustum, & sanctum futurū, ita ut radios iustitiae suae ante se præmittat, & luce sua sibi viam aperiat ad omnē progressum in hac valle tenebricosa huius nostræ mortalitatis. Iustitia, inquit, ante eum ambulabit, id est, Christus quasi sol quidam, & verè lux Mundi radios iustitiae, & sapientiae suae præmittet. sicut etiam scriptum est in Psal. 88. Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam. & Isa. 58. Anteibit faciem tuam iustitia tua; & sic ponet in via gressus suos, id est, aggreditur iter peregrinationis suæ, vt multos peregrinos perducat ad patriam. Possunt hi tres versiculi exponi etiam de iustificatione, & bonis operibus hominum credentium in Christum: nam vtroq; modo exponit S. Augustinus. Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit, id est, veritas confessionis peccatorū, & laudis Dei cœpit per Christum oriti ex ore hominum terrenorum, & tunc iustitia Dei de cœlo prospexit, vt confitentes peccata sua, & laudem dātes gratiæ Dei iustificaret. sed hæc ipsa veritas confessionis non orietur ex terra per vires ipsius terræ, sed per auxilium gratiæ Dei præuenientis. nam Dominus dabit benignitatem, qui dulcescere faciet iustitiam in corde peccatorum, & sic terra nostra dabit fructum suum. Porro iustificatus homo per Christi gratiam, semper iustitiā ante oculos suos habebit, vt omnia faciat iuxta re-

gulam iustitiae: sic iustitia ante eum ambulabit præferens illi quasi facem, legem Domini, ne ambulet in tenebris, & sic securus, & gaudens ponet in via gressus suos, vt feliciter ad patriam aliquando perueniat.

P S A L M . LXXXV.

Titulus, & Argumentum.

Oratio ipsi Dauid.

Titulus indicat, hunc Psalmum nihil esse aliud, nisi orationē Dauidi à Deo inspiratā, cum amaro esset animo, & consolatione diuina indigeret. Dauid enim, ut erat homo spiritualis, & in schola Spiritus sancti eruditus, cum varijs tribulationibus premeretur, non quarebat consolationem à rebus creatiis, in quibus vera consolatio anima insueneri non potest, sed ad Deum fontem omnis suauitatis per contemplationem, & orationem configiebat. Preinde nos etiam hoc Psalmo uti debemus, cum tentationibus varijs, unde cumq; illa veniant, fatigati, mœrore tabescimus.

EXPLICAT. PSAL. LXXXV.

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops, & pauper sum ego.

I.

Incipit orationem à magnitudine Dei, & vilitate sua: quæ est optima ratio precandi apta ad impetrandum: oratio enim humiliantis se penetrat nubes, Eccl. 35. Inclina, inquit, aurem, id est, tu qui excelsus es, inclina ad me, qui in imis iaceo, aurem tuam. Exaudi me quoniam inops & pauper sum ego; hæc est ratio, cur dixerit, inclina. quoniam, inquit, inops & pauper sum ego, id est, quoniam mendicus iaceo ad portam diuitis; inclina ex alto aurem tuam ad humilem seruulum, & quia talis est, exaudi eum. Pauper enim, & inops hoc loco dicitur is, qui siue habeat, siue non habeat opes terrenas, non in illis confidit, non inde superbit, non alios contemnit, sed ipsas potius opes contemnit, si habet, neque se

P pp melio-